

dere. Nam per propositionē vi. huius fixorū siderū motus per quadringentos fere annos non bisextiles, vniformis & equalis fuit, quod indicat differentias equalis diuersiq; motus tunc admodum paruas ac pene incōprehensibiles extitisse, ac eundem motum tūc valde tardum immo tardissimū fuisse, ac deinde ab aera Ptolemēi vsq; ad Alfonso aerā eundem motū constat longe fuisse velociorem. Nam per quadringentos annos Aegyptios ante Ptolemēi obseruationē, fixa sidera in centenīs annis mota fuerunt gradibus singulis a Ptolemēi vero consideratiōe vsq; ad Alfonso Castellę regis aeram in propositione v. huius stellę fixę demonstrantur motę fuisse, in centum annis bisextilibus gradu vno minutis primis xxxiiii. Tardior igitur, aut tardissimus fuerat motus stellarum fixarum Ptolemēi tempore. At per primū corolariū propositionis septimę huius. Tardus huius modi motus accidit sideribus non errantibus quando capita cancri & capricorni eclipticę nonę sphęrę constituunt prope sectiones paruorū orbium, atq; eclipticę decimę sphęrę. Ideo perspicuum est capita cancri & capricorni nonę sphęrę, iuxta Ptolemęi aeram propinqua fuisse memoratis sectionib; paruorū circuloꝝ atq; eclipticę decimę sphęrę manifesta itaq; est pars prima huius propositionis xiii. Ad declarationem secundę partis eiusdem propositionis id plurimū facit. Quoniam probabile valde est immo per se liquet, qd vt fixorum motus siderū per quadringentos annos Aegyptios ante Ptolemęi considerationem æqualis appareret, necesse fuit capita cancri & capricorni eclipticę nonę sphęrę pene per ducētos annos primū contra signiferi successiōē ac deinde per reliquos ferme annos ducētos iuxta signorū ordinē mota fuisse, ita vt quātum ante Ptolemæum diuersus motus equali diminuerit, tantū a ducentis annis reliquis vsq; ad Ptolemæū, diuersus æquali fixorum motui siderū addiderit, facta itaq; tali diuersi æqualisq; fixorū siderū motus compensatione accidisse, vt motus stellarū non errantiū per quadringentos annos non bisextiles, æqualis semper apparuerit, hac itaq; argumentatione liquet capita cancri & capricorni eclipticę nonę sphęrę ad aeram Ptolemęi a